



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

27. De mortificatione linguæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

2. 2. q. 187.
Art. 6.

Deo grata, vt docet S. Thomas, indici-
umq; dent animæ à vitijs & perturba-
tionibus purgatæ, vt scribit S. Hierony-
mus ad Rusticum, tamen qui ratione
status & officij, quod gerunt, conuer-
santur cum hominibus, remouere à se
debent, quicquid offendere possit pro-
ximum; nec sancti eiusmodi mortifi-
cationibus vsi fuere, nisi cum remota
ab hominum conspectu in cœnobij,
vel solitudinibus degerent. Atque hæc
sufficiant de varijs mortificationū mo-
dis, è quibus quisque deligere poterit,
quos suo statui & conditioni, vitibusq;
tam corporalibus, quam spiritalibus
iudicabit magis conuenientes, & quos
discretio ipsa, & Patris spiritalis con-
siliū magis probabit.

CAPVT XXVII.

De mortificatione Lingue.

Grauiissima mala & damna lin-
guæ non refrænata, quæ diui-
næ litteræ multis in locis patre-
faciunt, faciliè ostendant, quàm fru-
ctuosa necessariaq; sit linguæ mortifi-
catio. Ac primum, quamuis sacrarum
litterarum stylus admodum sit modera-
tus, & ab nimia amplificatione alienus,
tamen

tamen vehementer linguæ detrimenta passim exaggerat. *Lingua mala*, inquit, *multos commouit, & dispersit de gente ingentem, ciuitates moratas diuitum destruxit, & domos magnatum effodit. Virtutes populorum concidit & gentes fortes dissoluit. Lingua mala mulieres viras eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic, quasi qui iniererunt per linguam suam.* Hæc omnia Ecclesiasticus *Eccl. 22.* S. Iacobus quoque Apostolus graphicè malum linguæ exaggerat. *Ecce*, inquit, *quantus ignis, id est, quàm exiguus, quàm magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis, hoc est, omnium malorum causa, quia ea comburuntur animæ. Lingua constituitur in mēbris nostris, quæ maculat totū corpus, id est, omnia eius opera bona, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna, id est, inflammat totum vitæ humanæ cursum à prima ætate vsque ad obitum flammis culpæ & pœnæ æternæ.* Pergit B. Iacobus. *Linguam enim nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero, quo anima & corpus interimitur.*

Cum ergò testimonio cœlesti confect, tot tantaque esse linguæ mala, li-

Y 2 quiddò

Prou. 13.

Prou. 21.

quidò apparet summam omnibus incumbere necessitatem mortificandi & coercēdi illam, sic enim animam suam ab omnibus incommodis iam dictis immunem reddet. Vnde Deus per Sapientem dixit: *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Et rursus. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* Bestiam feram & indomitam, vt leonem, vel tigrem, æquissimè est diligenter concludi, & custodiri: et lingua, teste S. Iacobo, feritate superat omnes bestias, nulla enim bestia est, quæ industria humana domari non queat, at linguam nullus hominum domare potest. Bestiæ vinculis solutæ nõ aliud damnum faciunt, quam quod corpora aliquorum dilacerent, & sepè dominis suis parcunt: at lingua habenis suis soluta inuadit animas immortales, & licet eis non eripiat vitam naturalem, tamen eripit supernaturalem gratiæ, quod deterius est, quàm si eam in nihilum redigeret. Minus enim malum est non esse, quàm esse in peccato, & Dei Optimis Max. offensione. Nec solum damnum infert alijs, verum etiam facit in suum dominum, eumq; per summam tyrannidem è medio tollit. Sæpè namque contingit linguam malè mortificari.

tificatam vnico verbo temerè profuso, omnibus anteaetæ vitæ meritis, fructuosisque laboribus animam miserabiliter spoliare, & in ignes detrudere sempiternos.

Quam ergò æquum est hanc effera-
tam bestiam arctissimæ includere cu-
stodiæ, ne facilè in publicum prodeat,
stragesque dictas faciat. Quod sapien-
tissimè ipse naturæ auctor non obscure
nos docuit. Vt enim homo belluam
ferocem caueæ ferreæ, vel loco altis
muris circumdato includere solet, &
licet ianuam caueæ vel muro adiun-
gat, tamen vigilem & peritum simul
custodem adhibet, qui nunquam eam
emittat, nisi quando nocere non valet:
sic Deus linguam, tanquam in caueam
& specum inclusit ori humano, duplici
vallo dentium & labiorum benè com-
munito, ac licet ianuam, per quam e-
gredi queat, non negarit, tamen iani-
torem illi adhibuit peruigilem, ipsam
rectam rationem, qui non sinit eam
foras prodire, nisi quando alijs prodes-
se possit.

Neque solùm ab his tantis malis
mortificatæ linguæ beneficio liberari
possumus, sed etiam locupletari omni-
bus spiritalibus, & veris bonis gratiæ

ac gloriæ: nam cum homo natura tam pronus & proclivis sit, ad quidvis prohibito effugiendam, non potest non plurimum apud Deum mereri, si pronitatem illam naturalem compescat, & à sermonibus vanis & inutilibus profusus absteat. Accedit, quod si sermones vanos in pios & spirituales deinde commutet, indies in singula penè verba meritum, ac proinde gratiam, virtutes, ipsamque gloriam in cœlorum in modum adaugeat. Vnde scriptura divina dicit: *Vena vitæ, os iusti.* Ex eo enim procedunt verba conciliantia salutem, & vitam spiritalem iis, qui audiunt. Si cui prædium sit fertile, experientiaque didicerit, accessione culturae vberimum reddere fructum, quanto studio & diligentia illud inuisere, omnibusque rebus necessarijs, ut maiorem semper fructum ferat, instruere solet? Lingua bona prædium est spirituale & diuinum, quod si seruus Dei sedulo excolat, nobilissimos virtutum meritorumque fructus refundet. Omni ergo cura illud custodiat, herbas pravorum colloquiorum in eo extirpet, bonorumque & spiritualium verborum semina in illud iniiciat, miserationumque & consolatio-

rum

Prov. 18.

num cœlestium participem animam suam redder secundum illud Sapientis : *De fructu oris homo satiabitur bonis, PROV. 13.* hoc est, quæ bono linguæ vsu promeretur.

CAPVT XXVIII.

De mortificanda inordinatione linguæ in detractiōe.

Quoniam deinceps agendum est de ratione mortificandi linguæ inordinationes, vel abusus, hoc primò sciendum est, nos non agere de inordinationibus, quæ peccati mortalis notã manifestam habent, vt sunt iuramenta & testimonia falsa, ac detractiōnes de grauibus criminibus, quibus homines redduntur infames; nam presens tractatus pro seruis Dei scriptus est, qui dudum per pœnitentiam tales lapsus expiârunt. Agemus ergò tantum de leuioribus linguæ inordinationibus, in quas etiam pij per incuriam vel tepiditatem labi solent. Hæ enim mortificatione opus habent, tam quòd ijs neglectis procliuis est lapsus in vetera peccata lethalia, iam semel deserta & deposita, tum quòd progressum in vita spiritali plurimum retardent.